



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies duodecimus, decimus tertius et decimus quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

Prætermissi Et In Alios Dies Dilati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71232)

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI.

A

D

Sanctus Petrus martyr cognomento Abselamus seu Anselamus, Græce Ἀνσελάμος, hodie cum elogio Magnis Græcorum Menæis excusis et Menologio Sirletiano exstat insertus; verum, anne hic a S. Petro Balsamo, qui hodie quoque a Ferrario in Catalogo generali memoratur perperamque Aulonæ in Macedonia ponitur, sit diversus, controversitur. Diversum esse, Tillemontius Tom. V Monumentorum Ecclesiasticorum pag. 749 contendit, deque argumentis, quibus id facit, in Operis nostri Supplemento pronuntiandum, in sua in Usuardum ad tertiam Januarii diem observatione dixit Solletrius, etsi interim jam antea Bollandus, sequaces etiam Castellam et Ruinartium nactus, alterum ab altero non distingui statuissent ad jam dictam, qua in Opere nostro de S. Petro Balsamo tractatur, diem

B

S. Gaudentii confessoris hodie meminit in Usuardo suo Grevenus, anno 1521 Colonia Agrippinæ excusus, idque pariter facit, addito etiam episcopi titulo, Strozianum apud Sollerium Usuardi Auctarium. Grevenus hac ipsa die etiam celebrat S. Gaudentium Martyrem, Ariminensem episcopum; ut certe hunc, infra hic dandum, diversum faciat a Gaudentio, modo a se memorato. Ast quis hic? Haud alius, ut puto, quam Gaudentius confessor, in Florario nostro Ms. Novaria hodie annuntiat; etsi autem hic episcopi titulo ibidem haud condecoretur, eum tamen vel idcirco, quod Novariæ, ut dixi, signetur, nec Sanctus ullus alius nomine Gaudentius, quam qui civitatis hujus fuit episcopus, ibidem colatur, esse puto eundem cum S. Gaudentio, Novariensi episcopo, in Opus nostrum jam illato ad diem sibi natalem, quo et Martyrologio Romano hodierno aliisque Fastis sacris exstat inscriptus, xxii Januarii.

C

S. Constantinus Perusinus in Etruria episcopus martyr, hodie in recentiori, quod penes nos exstat, Ms. una cum sociis septem memoratur; verum quinam hi fuerint, haud adjungitur, nec magna Ms. isti fides est habenda. Adi Opus nostrum ad diem, quo in hoc locum inter Sanctos soli Constantio, omissis, quibuscum passus sit, Sociis, concessimus, xxix Januarii.

S. Theophilus Vice-dominus seu æconomus Adanzæ in Cilicia ecclesiæ hodie recurrit in Mss. Cartusie Bruzelliensis ad Usuardum Additionibus; verum is Sanctus, qui et Pœnitentis nomine distingui solet, in Opus nostrum jam illatus est ad diem, quo ab ecclesia colitur ac pluribus Fastis sacris exstat inscriptus, iv Februarii.

SS. Ursmari, Ermini, Theodulphi, et Amalbergæ translatio hodie signatur in Mss. Cartusie Bruzel-

lensis ad Usuardum Additionibus; verum Sancti isti omnes in Opere nostro locum jam obtinere sequentibus his diebus, nimirum:

Ulgisus	iv Februarii,
Amolvinus	vii Februarii,
Ursmarus	xviii Aprilis,
Erminus	xxv Aprilis,
Hidulphus	xxiii Junii,
Theodulphus	xxv Junii,
Amalbergæ	x Julii,
Abel	v Augusti.

S. Silvanus martyr hodie in Menæis excusis, in Menologio Sirletiano et apud Maximum Margunium, Cytherorum episcopum, recurrit; verum de Sancto isthoc Gæzensium episcopo martyre actum apud nos jam est ad diem, quo cum pluribus aliis Martyribus Martyrologio Basiliano ac ipsimet Romano hodierno exstat inscriptus, iv Maii.

E

S. Calepodii martyris Romæ hodie mentionem facit Florarium nostrum Ms.; ast, si Calepodium, apud nos ad xiii Aprilis diem e Martyrologio Tam lactensi viz notum ac Romæ forsitan passum exceperis, haud alium Romanum nominis hujus martyrem novimus, quam Calepodium Romæ presbyterum Martyrem, qui prima Maii die in Usuardinis apud Sollerium Auctariis et a Canisio memoratus, Opere nostro jam insertus est ad diem, quo in pluribus aliis Fastis sacris ac in ipsomet Martyrologio Romano hodierno Romæ una cum non paucis aliis, martyrio ibidem coronatis, annuntiat, x Maii.

SS. Felix et Blanda martyres hodie annuntiantur in Mss. Cartusie Bruzelliensis ad Usuardum Additionibus. Alii haud dubie non sunt, quam nominis hujus conjuges, qui in S. Callisti Papæ, infra hac die dandi, Actis narrantur martyrio affecti; verum de hisce aliisque, quos habuere in martyrio Socios, actum apud nos jam est ad diem quo in Martyrologio Romano hodierno aliisque Fastis sacris recensentur, x Maii.

F

SS. Donatiani et Rogatiani martyrum hodie meminit Florarium nostrum Ms. De his in Opere nostro actum jam est ad diem, quo quatuor Martyrologii Hieronymiani apographis, pluribusque aliis Fastis sacris ac ipsimet Martyrologio Romano hodierno sunt inscripti, xxiv Maii.

S. Fortunatus, veluti episcopus et confessor, Treviris hodie una cum S. Rustico, episcopo et confessore, in Florario nostro Ms. signatur. Cum episcopus, nomine Fortunatus, nullus omnino præter Amalarium Fortunatum, et Fortunatum alium, quem et Mauritiu inter annos 240 et 250 sedisse voluit in episcoporum Trevirensium Catalogis inveniatur, oportet, ut de illorum alterutro ibidem agatur; verum vide quæ de ambobus

in

A in Opere nostro in Prætermisiss dicta jam sunt ad diem, quo eorundem posterior in Usuardinis apud Sollerium Auctariis, itemque in anni 1645 ecclesie Trevirensis Calendario et Lectionario refertur, x Junii.

SS. Nazarius, Gervasius, Protasius et Celsus martyres hodie in Ephemeridibus Græco-Mosis, in Typico S. Sabæ, in Græcorum Menologio Basiliano, et in magnis Menæis excusis, itemque in Menologio, lingua Græcorum modernorum vernacula per Margunium conscripto, et in Calendario Slavo-Russico, in Linguam Latinam a Sparwensfeldio nobis converso, signantur; verum de SS. Gervasio et Protasio apud nos cum Martyrologio Romano hodierno actum jam est ad XIX Junii; de Nazario vero et Celso ad XXVIII Julii.

S. Speciosæ Virginis memoria hodie occurrit in Florario nostro Ms. Cum Virgo hæc martyris titulo hic haud afficiatur martyrique adeo haud existitisse videatur, a duabus nominis ejusdem Sanctis mulieribus: quarum altera, ut martyr, cum pluribus aliis martyribus ex officiorum tabella, decessoribus nostris in S. Antonii in Gallia archicænobio suppeditata, XIII Martii; altera vero ex Hieronymianis apographis, martyres fere dumtaxat recensere solitis, ad XI Julii diem in Opus nostrum exstat illata, verosimillime est diversa; verum an a S. Speciosa, S. Epiphaniæ Ticinensis episcopi sorore, quæ non ut martyr, sed ut Virgo tantummodo Papiæ in Insubria colitur, pariter est diversa? Quod si ita habeat, aliunde nobis tam parum est nota, ut locum ei in Opere nostro concedere sola Florarii nostri auctoritate fulti non audeamus; quod si vero contra cum dicta Sancta Virgine Papiensi, a qua S. Speciosam Virginem, sub duplici secundæ Classis ritu Mantuæ XI Julii die ut asseritur, coli solitam, distinctum haud esse, suspicati ad hanc in Prætermisiss decessores nostri fuere, una eademque forsitan sit, censenda est in Opere nostro jam data ad diem, quo in id illa exstat illata, XVIII Junii.

S. Willibaldus episcopus hodie recolitur in Mss. Cartusie Bruzcellensis ad Usuardum Additionibus. Designari puto Willibaldum, Eystadiensem in Germania episcopum, de quo in Opere nostro actum jam est ad diem VII Julii.

In Jotrensi monasterio translatio Sanctarum Virginum Teutechildis et Aquilbertæ, illius parthenonis abbatissarum hodie habet in Martyrologio suo Gallicano Saussayus et ex hoc in Gynæceo Arturus; verum de posteriori e duabus hisce Sanctis abbatissis, quæ ab aliis, et quidem, ut apparet, melius, Aquilberta seu Agilberta nuncupatur, actum apud nos jam est ad diem XI Augusti; de priori vero ad diem X Octobris.

S. Justi episcopi, qui, episcopatu relicto, in Ægypti eremum secessit, ibidem sanctissime vixit, ac post obitum translatus fuit in Gallias, translatio in Lucensi et Corbeiensi apud Florentinum Hieronymianis apographis, uti et in Rhabani et Notkeri Martyrologiis; transitus vero in Eremito in variis apud Sollerium Usuardinis Auctariis, in ipsomet Adontiano Martyrologio ac in Florario nostro Ms. hodie signatur; ast anne hisce, quæ

Justum tunc obiisse, an contra illis, quæ eum tunc translatus fuisse in Gallias, ita indicant, standum potius sit, statuas ex iis, quæ de sancto isto Lugdunensi antistite, in nonnullis præterea aliis Fastis sacris absque ulla etiam seu obitus seu translationis mentione hodie memorato, deseruimus ad diem, quo in Martyrologio Romano hodiernum indeque in Opus nostrum est illatus, II Septembris.

Depositio Placellæ Augustæ uxoris Theodosii Magni hodie memoratur a Ferrario in generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo, eademque Augusta seu imperatrix, quæ melius, ut apparet, Placilla aut Flaccilla ab aliis dicitur, a Canisio et Molano, apud quos pariter hodie occurrit, celebratur etiam veluti beatæ memoriæ; verum cultu caret, uti nemo non statuet ex iis, quæ in medium jam adduximus in Prætermisiss ad diem, quo ejus in magnis Græcorum Menæis excusis mentio est, XIV Septembris.

S. Privatus miles hodie cum S. Callisto Papa infra hic dando in Martyrologio Romano parvo seu veteri annuntiatur; verum de Sancto isto milite jam egimus eumque haud recte, quod S. Callisto Pontifici hodie Sanctus, nomine Saturus, in duobus apud Florentinum Hieronymianis apographis adjungatur, existimari binomium, insinuavimus ad diem, quo Martyrologio Romano hodierno exstat inscriptus, XXVIII Septembris.

S. Korulla, Korilla, Kortyla, Cortyla aut Cortylas. Ita hodie de Scotorum Pietate Camerarius, Wionum lib. 2. Ligni Vitæ primo loco citans, sicque prodens, sese loqui de nominis hujus Verdensi episcopo, per istum ibidem cap. 55, num. 6 memorato, qui a Crantzio lib. I Metropolit. cap. 29 non Kortilla, sed, contra ac in episcoporum Verdensium Catalogo, ad ipsiusmet jam dicti operis Crantziani calcem adjecto, fit, Kortilla ex antiqui forsitan ab eo adhibiti, in quo littera initialis K nominis Kortilla quod superiores ejus partes pene jungerentur seu coirent, pro littera R accipi facile posset, codicis Ms. vitio seu defectu nuncupatur, sextusque ordine ecclesie Verdensis existitisse episcopus traditur; verum hic, quem ad XXVIII Martii, quo a Dempstero in Menologio Scotico et a Ferrario in generali Sanctorum Catalogo recensetur, iterumque deinde ad XXVIII Aprilis diem, quo in Martyrologio Anglicano, itemque quod mirum videri potest, a Ferrario iterum et Camerario veluti episcopus martyr celebratur, nomineque nonnihil immutato, Cortillus vocatur, decessores nostri inter Prætermisissos jam retulere, cultu ecclesiastico, uti apud hosce ad XXX Aprilis, aliqua adhuc ibidem, ut sese facturos ad XXVIII in Prætermisiss promiserant, de Kortyla in S. Suiberto num. 7 dicentes, videre fas est, gaudere haud videretur; quam ob rem dare ei locum inter Sanctos in Opere nostro nondum hic possumus, id nihilominus in hujus Supplemento, si interea de Kortylæ in pluribus Verdensium episcoporum Catalogis Sancti titulo affecti, cultu publico satis constiterit, postea facturi, uti in Prætermisiss jam indicavimus ad diem, quo Kortylæ Verdensis episcopi eleva-

tio

- A Deposito a Dempstero in Menologio Scotico et apud Ferrarium in Catalogi Generalis Annotatis signatur XIX Septembris. Deposito Paulini episcopi in Cantia, interpunctione inter duas harum vocum ultimas et antepenultimam perperam interjecta, hodie memoratur in Epternacensi apud Florentinum Hieronymiano apographo. Ibi haud dubie sermo est de S. Paulino, qui post Eduini, Northumbriae regis, ad fidem a se adducti, mortem in Cantium, seu, ut a Beda scribitur, in Cantiam, unde in Northumbriam venerat, reversus, annis aliquot post mortuus ibidem est ac Rossæ sepultus; verum de Sancto isto Eboracensi archiepiscopo actum apud nos jam est ad diem, quo in Martyrologio Romano hodierno pluribusque aliis Fastis sacris celebratur, x Octobris.
- S. Venancii abbatis et confessoris depositio Turonis hodie annuntiat in Bruzelliensi apud Sollerium Usuardino Auctario; verum de Sancto isto actum apud nos jam est ad diem, quo ipsimet Martyrologio Romano ac pluribus aliis Fastis sacris exstat inscriptus, XIII Octobris.
- B S. Leonardi confessoris hodie in Trevirensi sancti Maximi, quod penes nos exstat, Martyrologio mentio habetur; verum quis Leonardus hic confessor? Nominis hujus Sanctus, qui hic designari queat, non alius quam vel Lemovicensis vel Vendoperensis seu Corbiniacensis, quorum alterum ab altero certo esse diversum, in Notitiis Mss., apud nos in diem sequentem sepositis, probatum invenio, mihi occurrit; duorum autem Sanctorum istorum homonymorum prior Martyrologio Romano hodierno aliisque Fastis sacris ad VI tantummodo Novembris diem reperitur insertus; quare non hunc, sed Leonardum Vendoperensem seu Corbiniacensem, XV Octobris die in Fastis sacris non paucis memoratum, a laudati Martyrologii compilatore designatum opinor; uti enim, quemadmodum mox vidimus, S. Severum episcopum confessorem, ita etiam posteriorem hunc Leonardum huc transtulerit a jam dicto die, quo et colitur et Fastis sacris inscriptus in Opere nostro dandus erit, XV Octobris.
- C S. Severi episcopi memoria hodie etiam in mox dicto Trevirensi S. Maximini Martyrologio Ms. hodie recolitur. Designatur, ni fallor, S. Severus, Trevirensis episcopus confessor eo, ut puto, translatus a die, quo Trevis colitur pluribusque Fastis sacris ac ipsimet Martyrologio Romano hodierno inscriptus, in Opere nostro poscet locum, XV Octobris.
- S. Eliphium Tulli in Gallia hodie in Generali suo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo signat Ferrarius, nec Martyrem vocare contentus, episcopi etiam titulo condecorat, rectene autem, an secus, dispici poterit ad diem, ad quam jam illum, quod tunc passus feratur, ac porro, pluribus aliis Fastis sacris ipsique etiam Martyrologio Romano hodierno inscriptus, colatur, a die Junii 21, iterumque deinde ab Octobris undecima remisimus, XVI Octobris.
- Romæ sanctæ Triphonie Viduæ habet hodie in Generali suo Catalogo Ferrarius; in Annotati-
- one autem, quam deinde in Annuntiationem hanc suppeditat, docet, esse ex Romanis ecclesiæ S. Silvestri, ubi, ut ait, colitur corporeque quiescit, tabulis depromptam; verum S. Triphoniam seu Tryphonia, ad XVIII mensis hujus diem Martyrologio Romano hodierno inscripta, quæ, ut fertur, Decii Cæsaris uxor fuit, non prius fuit, quam cum hic obiisset, ad fidem conversa ac e vivis sublata; quare hæc non secus ac homonyma, a Ferrario hodie memorata, exstitit vidua, cumque corpus ejus Romæ, ut Pancirolus in Sacrarum Urbis reliquiarum Indice docet, in S. Silvestri ecclesia partim servetur, sit nec hæc a Triphoniam hodierna Ferrarii diversa, quam maxime dubito. Hanc porro dubitationem ipsemet Ferrarius, ut ipse Triphoniam quidem Decii uxori, at non itidem Triphoniam suæ hodiernæ, locum in Sanctorum Italia Catalogo concedens, non parum adhuc auget. Hinc de posteriori hac Triphoniam veluti a priori certo distincta in Opere nostro hodie tractare non audemus, id tamen, si quid interea lucis, qua alteram ab altera indubie esse diversam cernamus, affuserit, postea facturi ad diem, quo, ut jam dixi, Tryphoniam seu Triphoniam Decii uxorem Martyrologio Romano exstat inscripta, locumque proinde in Opere nostro est obtentura, XVIII Octobris.
- S. Eusterius Salernitanus episcopus, ab ecclesia Salernitana, uti ex propriis hujus festivitatum Officiis disco, hodie colitur. De sancto isto Salernitano episcopo agendum nobis pro instituto nostro est ad diem, quo in Martyrologio Romano hodierno celebratur, XIX Octobris.
- S. Viatoris mentio hodie in Centulensi apud Sollerium Usuardino Auctario; occurrit nos de Sancto isthoc Beati Justi Lugdunensis episcopi ministro et comite cum Martyrologio Romano hodierno agemus ad diem, XXI Octobris.
- S. Noytburgis Virginis Coloniensis hodie in Generali suo Catalogo meminit Ferrarius; meminit et in Gynaceo sacro Arturus, itemque in sacris ac piis Agrippinensibus Fastis Gelenius; verum de sancta isthac Coloniensi Virgine, quæ ab aliis Notburga aut paulo etiam aliter nuncupatur, agemus ad diem, quo pluribus aliis Fastis sacris exstat inscripta ac præcipue, uti apparet, colitur, XXXI Octobris.
- Alanus, natione Flander, Sancti Bernardi discipulus, primus Ripatorii abbas et postmodum Altissiodorensis episcopus hodie veluti vir doctus et sanctitate celeberrimus in Menologio Cisterciensi a Chrysostomo Henriquez et in sacri Ordinis Cisterciensis Sanctorum, Beatorum ac illustrium Virorum serie a Chalemoto celebratur. Celebratur et ab aliis hagtiologis ac nominatim in Fastis Belgicis et Burgundicis a Miræo, qui eum, cum episcopatu Autissiodorensi, quem tredecim annis gesserat, sese abdicasset, reliquum Vitæ in Clara-valle piissime transegit ac ibidem anno 1181 pridie Idus Octobris obiisset, adjungit. Bollandus noster ad XXX Januarii diem occasione Alani alterius, quem ibidem inter Prætermisos refert, de Alano, Ripatorii abbate ac dein episcopo, loquens, sese etiam, anne hic Sanctis

A *ctis vel Beatis legitime sit adscriptus, compertum non habere affirmat; cum autem id nobis non tantum incompertum pariter sit, verum etiam nihil plane, unde vel utcumque Alani abbatis ac deinde episcopi cultus publicus probari queat, inveniamus, nos illi, etsi etiam Beati titulo, a quo melius ut puto, Sammarthani fratres in Episcoporum Autissiodorensium serie abstinere, per Henriquezium et Bucelinum condecorato locum inter Sanctos in Opere nostro dare haud possumus.*

Antonius Chauli in *India Orientali,*

Nicolaus Uganius *Florientia,*

Joannes Navarretus *Pontis-Veteris in territorio Compostellano,*

Franciscus Simonis *Blaille in territorio Arvernensi,*

Clara Palvia *Virgo Volaterræ in Heturia*

B *verum horum omnium primum, qui Martyris etiam appellatione ab hagiologo isto distinguitur, haberi haudquaquam posse pro veri nominis Martyre, nemo non fatebitur, qui, quæ in suis de eo Annotatis ipsemet Arturus assert simulque, quæ Benedictus XIV de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione lib. III, cap. XVIII docet, considerarit; quod autem ad reliquos quatuor spectat, hi non magis cultu ecclesiastico gaudent, quam jam ante hos memoratus Antonius, aliique plures, in Menologio Franciscano hodie pariter, sed recte absque dicto titulo, relati ab Huebero, ad quem brevitatis causa studiosum lectorem, noscere etiam horum omnium nomina cupidum, remittimus.*

Brocanus hodie notatur in quibusdam Hibernorum seu Scotorum Calendariis. Notatur et in præcipuorum Hiberniæ Sanctorum Catalogo, per Henricum Fitz-Simon recognito auctoque ac anno 1619 typis vulgato, in quo, nomine paululum immutato, Brocanus appellatur. Verum sive hic sit Broganus in Opere nostro ad XIX Septembris diem inter Prætermisissos relatus, sive, qui abs hoc diversus forsitan est, Brocanus seu Brochanus, in Opere nostro pariter, sed ad VIII Julii diem, inter Prætermisissos jam relatus, sive demum, qui et abs illo distinguitur, nominis ejusdem vel fere ejusdem tertius, Kalendaria Catalogusque, quibus, ut jam indicavi, hodie existat inscriptus, multo etiam plures ut sanctos, quam qui revera in Ecclesia colantur, recensent, solaque proinde auctoritate sua efficere non possunt, ut Brocanus hodie in Opere nostro inter Sanctos adipiscatur locum.

Burcardus, nominis hujus secundus S. Galli abbas, hodie in Menologio Benedictino refertur a Bucelino, a quo tamen tantummodo appellatur Venerabilis, sicque cultu ecclesiastico non gaudere indicatur.

S. Burchardum episcopum Britannum Ferrarius in Generali suo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo hodie Parmæ ex ec-

clesiæ Parmensis tabulis annuntiat; verum is, uti ipsemet hic hagiologus in Annotatis, annuntiationi isti subjectis, docet, alius non est, quam, qui hic infra dabitur, S. Burchardus, Herbipolensis episcopus, dictis tabulis inscriptus, quod corpus ejus Parmæ asservetur, nec in iisdem alia de causa, quam quod in regione, Britannicæ nomine distincta, natus sit, episcopus Britannus, nuncupatus.

Dioscorus et Filias hodie recensentur in *Æthiopum apud Jobum Ludolphum Calendario*; ast horum prior, uti hic Scriptor ait, alius non est, quam notissimus nominis istius patriarcha Alexandrinus, qui spreto Chalcedonensi consilio, factus est schismaticus ac idcirco abs Habessinibus honoratur ut Sanctus; posterior vero nobis plane est ignotus: ut neuter certe Operi nostro sit inserendus.

Ecclesiæ S. Martini Tornacensis Dedicatio, anno MCXXXII a Simeone Tornacensi ac Noviomensi episcopo facta in *Ms. S. Martini Tornacensis*, quod sub Bedæ nomine venit, quodque penes non existat, Martyrologio hodie signatur.

Elisabetham Arenestiam, *Herentalensis cœnobii*, quod Hortus conclusus nuncupatur, præfectam, hodie in *Præmonstratensis Ordinis Sanctorum Natalibus* recensent Chrysostomus Van der Sterre et in *Gynæceo Arturus*; verum, etsi eam Beatæ etiam titulo condecorant, publico tamen, de quo et ipsimet silent, cultu caret.

Eutropius Andegavensis ecclesiæ episcopus, hodie veluti Confessor et Sanctus, in *Florario nostro Ms. et in Mss. Cartusie Bruzellensis ad Usuardum Additionibus* memoratur; verum, etsi in *beati Mauri abbatis per Faustum Vita Sanctissimus* etiam, ut *Galliæ Christianæ Tom. II pag. 114 Sammarthani* aiunt, appelletur, abs hisce tamen vel Beati vel Sancti titulo haud condecoratur, nec inter Andegavensis ecclesiæ episcopos, quos hæc veluti Sanctos veneratur, in *Andegavensi*, quod præ oculis, habeo quodque anno 1624 notatur excusum, *Breviario* comparet.

Guilielmus rex Angliæ hodie annuntiat in *Martyrologii Gallicani Supplemento a Saussayo et in Generali Sanctorum*, qui in *Martyrologio Romano* non sunt, *Catalogo a Ferrario*, a quo etiam in *Annotatis*, annuntiationi subjectis, anno 1066 obiisse assertitur; verum nominis hujus Angliæ regem, qui anno isthoc obierit, non novimus, cultuque ecclesiastico carere a duobus illis hagiologis hodie annuntiatum, est certum.

Hilgeri Dominicanorum Prioris, filii comitis de Honstein, hodie meminit in *sacris et piis Agrippinensibus Fastis Gelenius*. Hic, qui ab aliis Helgerus aut etiam Hildegerus nuncupatur, in *cathedrali Magdeburgensi ecclesia*, cum foret adhuc admodum juvenis, creatus canonicus ac haud diu post ecclesiæ Goslariensis præpositus, Parisios studiorum causa concessit, cumque ibi, sanctiori concepto proposito, Dominicanorum ordinem esset ingressus, in *Thuringiam patriam* suam anno 1219 est missus, cumque ibi Ordinis sui conventuum recens, eo potissimum agente, *exstructorum, Erfordiensis* primum ac deinde *Ise-*

nacensis

- A nacensis. Prior esset effectus, utrumque summa cum laude annorum aliquot spatium rexit, vitæque sanctitate interea factus illustris, Francofurti tandem, quo sese cum Henrico, Thuringiæ Landtgravi, cui a sacris confessionibus erat, contulerat, vitam hanc mortalem cum immortalis anno 1243 quarta decima Octobris die commutavit; indeque Isenacum delatus, ibidem sub Patrum Dominicanorum ecclesiæ choro in B. Mariæ Virginis sacello est sepultus. Ita e veteri Ms. Trajectensi extracta ac a P. Joanne Gamansio seculo proxime elapso Antverpiam missa, cujus hæc compendio modo exhibita capita præcipua, Hildegeri Vita; etsi autem hanc decessores nostri, dum Helgerum seu Hildegerum ad VIII, quo a Greveno memoratur, Augusti diem inter Prætermisissos retulere, præ oculis habuisse haud videantur, hicque de loco, quo sit sepultus, haud sat recte ibidem fuerint locuti, incompertum tamen esse ejus cultum, merito asseruere; nihil enim usquam, unde huic vel esse vel fuisse unquam locum, probes, occurrit; imo contra est, unde concludas oppositum. Gelenius enim Venerabilem dumtaxat vocat Hilgerum, ejusque annuntiationem, etsi Sanctis, cultu gaudentibus, rosam ad marginem soleat apponere, signo hujusmodi haud distinguit.
- S. Ilherum Brugis ad S. Donatianum quiescere, hodie in Appendice, S. Donatiani episcopi Remensis annuntiationi subjecta, in Natalibus Sanctorum Belgii e translationis Sancti hujus apud Surium historia, in qua S. Ilheri apud Brugenses loculi mentio fit, Molanus aut, si mavis, Petrus Lowius affirmat, mox addens, Sancti hujus, Brugis aliunde, ut apparet, advecti, diem natalem ignorari, seque plura sciscitatum e canonicis Brugensibus dumtaxat didicisse, reliquias illius una cum reliquiis S. Maximi episcopi (Basiliæ antea in Sanctorum Belgii indiculum per errorem irrepserat) contineri in una eademque capsula, in cujus superiori parte episcopi duo cum subscriptis nominibus, S. Maximus, S. Ilherus, cernuntur exsculpti; verum cum plures sancti episcopi, quibus Maximi nomen fuit, extiterint, quisnam sit is sanctus Maximus episcopus, cujus reliquiæ Brugis cum S. Ilheri reliquiis asseruari creduntur, edicendo non sumus; quod autem ad S. Ilherum spectat, in Gallia Christiana aucta inter ecclesiæ Mimatensis episcopos loco decimo a Dionysio Sammarthano recensetur S. Ilerus, coli ab ea, uti apud nos ad VI Octobris diem in S. Enimia num. 20 videre licet, ecclesiastico ritus duplicis Officio quotannis die prima Decembris solitus, nec alius Sanctus nominis illius episcopus mihi est notus; verum (vide apud nos in eadem Enimia num. 28 dicta) dubitari potest, an is non sit S. Hilarius, antiquior Mimatensis ecclesiæ episcopus, concilio Arvernensi, anno 535 celebrato, apud Labbeum Tom. IV conciliorum col. 1805 subscriptus, qui cum Gallicè vocetur S. Hilaire, fuerit forsitan etiam, appellatione abs hoc nomine, quod a Gallis fere, ac si S. Hilere aut S. Hilere seu Iler, scriberetur pronuntiarum solet, deducta, Latine nuncupatus Ilerus seu Ilherus; jam vero, cum plures extiterint, quibus Hilarii nomen fuit, sanctitate illustres episcopi, potueritque genuinum horum omnium nomen ratione jam exposita in Ileri seu Ilheri nomen similiter mutari, cujusnam Sancti, Brugis advecti, sint, quæ ibidem cum S. Maximi reliquiis in una eademque capsula asservantur, sacræ S. Ilheri reliquiæ, edicendo pariter non sumus.
- Joannes trigesimus secundus, alii 33, abbas Cisterciensis et Bernardus infirmarius hodie referuntur in sacri Ordinis Cisterciensis Calendario, anno 1617 Divione typis excusis; referuntur autem, præmissa tamen semper Alani mox hic memorati annuntiatione, etiam alibi, posterior quidem, addito etiam Beati titulo, in Satorum ac Beatorum Cisterciensium serie a Chalemoto, prior vero in Menologio Benedictino a Bucelino et in Menologio Cisterciensi ab Henriquezio, qui ibidem præterea Gaufridum, Sorensensem in Sardinia et monacho Cisterciensi episcopum, verosimillime, imo indubie, a Gaufrido, sedis hujus episcopo, de quo nos ad diem præcedentem in Prætermisissis, non diversum ac Claram, Bello-præntensis in Belgio parthenonis abbatissam, ab Arturo in Gynæceo et a Bucelino in Menologio Benedictino hodie etiam relatum, recensent; verum nihil omnino, unde vel unius ex his modo memoratis cultus legitimus solide probari queat, adducunt. Antiquum quidem Cistercii Missale, in quo Joannis, abbatis Cisterciensis a se memorati, nomen fuerit signatum, Henriquezium in suis de Joanne isthoc observationibus laudat; ast an fuerit, necne de eodem Joanne Missa in Missali isto præscripta, haud edicit. Et vero id ne Collectam quidem de Joanne fuisse complexum, omnique hunc carere cultu ecclesiastico publico ac legitimo, persuasum mihi vel idcirco habeo, quod Manriqueus in Cisterciensium, quam Ordinis sui Annalium Tom. I a pag. 471 suppeditat, abbatum serie nulli ex his, quibus Joannis nomen fuit, vel Beati vel Sancti titulum adjungat, contra ac semper facere solet, dum ibidem recenset Cistercienses nominis alterius abbates, qui vel pro Sanctis aut Beatis habentur, vel etiam ut tales coluntur.
- Joannes Vendvillius, Tornacensis episcopus, cujus post vitam piissime actam et vivis anno 1592 sublato corpore biennio post plane integrum et incorruptum fuit repertum, hodie in Auctaria ad Natales Sanctorum Belgii signatur; verum Sanctis nondum legitime est adscriptus, nec, ut reor, brevi adscribetur.
- Maximus hodie sanctis Martyribus Cordubensibus Lupo et Aureliæ, infra hic dandis, in Corbeiensi apud Florentinum et Dacherium Hieronymiano apographo adjungitur; verum is ab omnibus aliis Hieronymianis apographis abest, nec aliunde est notus.
- Nicolaus Monachus hodie cum Sancti titulo Ephemeridibus Græco-Mosis, Operis nostri Tom. I Maii præfixis, extat inscriptus; verum in Ms., in quo hodie etiam memoratur, Ruthenorum Synaxario, nobiscum per P. Georgium David communicato, Venerabilis dumtaxat nuncupatur, nec quidquam, unde vel gaudere vel gavisus unquam

fuisse

A fuisse cultu ecclesiastico probetur, Kulczynskius, a quo in ecclesiæ Ruthenica, cum Sede apostolica Romana semper unitæ, Specimine hodie pariter recolitur, in medium ibidem adducit, etsi interim post prolixum ac plane insigne eelogium, e Patrum Criptensium Vitis acceptum, quo Nicolaum exornat factumque e principe Czernihoviensi monachum post vitam sanctissime actam anno 1136 quarta decima Octobris die obiisse docet, mox etiam, fuisse cum ob eximiam sanctitatem vulgo nuncupatum Suatoszam, id est Sanctum, adjungat.

Osatius hodie cum Sancti et Martyris titulo memoratur in Ruthenorum, quod apud Possevinum Tom. II Apparatus sacri a pag. 374 exstat, Calendario; verum is in aliis seu Ruthenorum seu Latinorum aut etiam Græcorum Fastis sacris nusquam comparat, nec aliunde nobis est notus.

Philippus cognomento nobilis, marchio Namurcensis, qui post edita insignis penitentia indicia anno 1213 Namurci obiit, miraculisque post obitum claruit, hodie a Rayssio in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii memoratur; verum, etsi et in hoc et in Sanctorum Sanctarumque Namurcensis comitatus Epitome, anno 1619 Leodii excusa, in qua pariter locum obtinet, Beati etiam titulo condecoretur, cultu tamen ecclesiastico vel gaudere vel gavisus umquam fuisse nullo ex capite videtur.

Placentiæ dedicatio majoris ecclesiæ hodie in Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo memoratur a Ferrario.

Rothadus seu Rothardus, aliis Rolandus, seu Rothadus Cameracensis episcopus hac die, qua obiisse a nonnullis creditur, a Castellano in Martyrologio Universali cum Beati titulo annuntiat, ac e die præcedenti, qua, quod tunc mortuus ab aliis putetur, a Saussayo memoratur, huc a nobis fuit remissus, Operi nostro modo inserendus, si publicus ejus cultus sufficienter interea fuisset probatus; ast id jam fuisse a quoquam præstitum, haud invenio. Rothadum quidem Magdeburgi, ubi corpus ejus, eo e Cameracensi S. Autherti ecclesia, in qua aliquamdiu jacuerat, delatum, quiescit, gavisum fuisse cultu, Castellanus laudatus affirmat; verum velimus, ut probæ fidei testimonio seu documento suam hanc assertionem dedisset probatam. Etsi enim is martyrologus pro diligentissimo juxta ac perspicacissimo rerum ad Sanctos spectantium indagatore haberi merito queat, tanti tamen apud nos non est, ut sola sua auctoritate nobis certum atque indubitatum reddere queat, quem asserit, antiquum Rothadi apud Magdeburgenses cultum; quare cum hactenus nec aliunde de hoc nobis satis constet, Rothado sane, etsi interim Sancti etiam titulo non tantum a Saussayo, sed et a Galliæ Christianæ tum antiquæ, tum novæ seu auctæ scriptoribus in episcopis Cameracensibus afficiatur, locum dare hic inter Sanctos nondum possumus, id tamen facturi in Operis Supplemento, si tum demum nobis de cultu publico ac legitimo, quo seu Magdeburgi seu alibi vel gaudeat vel aliquando fuerit gavisus, satis constiterit.

C

S. Vitalis confessoris hodie meminit Grevenus. Dubitandum non apparet, quin is unus idemque sit cum Sancto homonymo, quem ad xvi mensis hujus diem Usuardina inter Auctaria Sollerius recenset, quemque, non secus ac hic, ibidem fatemur nobis plane ignotum.

S. Winoci translatio hodie memoratur in Mss. Cartusie Bruzcellensis ad Usuardum Additionibus; verum de Sancto isthoc abbate, de cujus translatione ibidem sermo, agemus ad diem, quo in Fastis sacris non paucis ac in ipsomet Martyrologio Romano hodierno recolitur VI Novembris.

Eustratius presbyter Leontinis seu apud Leontinos ab Octavio Cajetano in Martyrologio Siculo, a Ferrario in Generali Sanctorum Catalogo, a Carrera in Pantheo Siculo et a Conversano in Ætherea Leontinorum Gloria hodie refertur; verum, etsi a duobus hagiologorum prioribus Beati, a duobus vero posterioribus Sancti etiam titulo condecoretur, cultu tamen publico atque legitimo haud gaudet, uti ipsemet Cajetanus non obscure prodit. Duos enim indices, in quorum altero solos e cœlitibus, qui publico cultu gaudent, in altero vero solos, qui, quamvis pie sancteque vixerint, pari tamen veneratione haud afficiuntur, ordine alphabetico exhibet, Martyrologio suo præmittit, neque tamen in illorum priore, sed in posteriore dumtaxat Eustratium recenset. Ast, ne cui hic forte, contra ac putamus, nondum idcirco ex Opere nostro excludendus videatur, aliam adhuc, ob quam id facere sit visum, rationem adjungamus. Eustratius, ut apparet, e solis fere, quæ ad decimam Maii diem in Opus nostrum ob rationes ibidem allegatas intulimus, corruptis admodum, ne dicam, fabulosis B. Alphii, Philadelphi et Cyrini martyrum Actis est notus; in hisce autem, quæ Eustratium, et Charitonem, ad vi Junii diem Fastis sacris mox memoratis inscriptum, neque tamen magis quam Eustratium veneratione Sanctis propria tunc cultum, hacque de causa in Opere nostro inter Prætermisissos ibidem et iterum ad 1 Septembris diem jam relatam, faciunt fratres, num. 125 dicuntur hi ambo habuisse patrem, e Judæo factum Christianum ac dein, cum nomine mutato, appellatus fuisset Donatus, presbyterum; quare, quemadmodum studiosum lectorem, ut quidnam Charioni debeat, dispiciat, a dicta prima Septembris die jam remisimus, ita eundem, ut quid de Eustratio statuendum sit, definiat, ab hac die modo remittimus ad diem, qua Donatus presbyter Officio ecclesiastico apud Leontinos colitur, ac idcirco, etsi interim, ut apparet, fere etiam dumtaxat e dictis notæ haud probæ Actis notus, in Opere nostro inter Sanctos obtenturus est locum, XIII Novembris.

Beatissimæ matris nostræ Parasceviæ hodie habet Menologium Slavo-Russicum, a Sparwensfeldio e lingua Slavonica in Latinam conversum; sed quæ ibi Beatissimæ titulo afficitur, Venerabilis dumtaxat vocatur in Ruthenorum, in quo hodie pariter occurrit, Synaxario, anno 1688 per P. Georgium David Moscuæ, ubi tunc missionarium agebat, ad nos misso. Diversa indubie non est a Parascevia seu Praxede, in ecclesiæ Ruthenica

cum

A cum S. Sede apostolica Romana semper unita Specimine ab Ignatio Kulczynskio pag. 49 hodie pariter memorata. Res cuique patescet, qui hujus ibidem elogium, e monachorum Basilianorum Anthologio, in quo, uti is scriptor docet, Officium proprium habet, depromptum, contulerit cum iis, quæ de Parascevia sua hodie Menologium Slavo-Russicum suppedilat; verum hæc una eademdemque forsitan etiam est cum S. Parascevia, quæ a die, quo Ephemeridibus Græco-Moscis inscribitur, XIII Octobris in diem proxime sequentem seu XIV Octobris sit dilata? Determinari id poterit ad diem, quo de Parascevia, Martyrologio Romano hodierno sub Venerandæ, ut apparet, nomine tunc inscripta, acturi ac porro, uti in Prætermissis ad diem progressam jam monuimus, unicane, an plures, ut certe, teste in opere superius citato pag. 56 Kulczynskio, Rutheni autem, Parasceviæ exstiterint, examinaturi sumus.

XIV Novembris.

S. Fortunatus episcopus Pictaviensis hodie in

Sanctorum Canonorum Natalibus celebratur a Ghinio, idemque etiam in Germanico Canisii aut, si mavis, Walasseri martyrologio et in Mss. Cartusie Bruzcellensis ad Usuardum Additionibus fit; ast de Sancto isthoc acturi demum sumus, uti in Opere nostro Tom. III Augusti pag. 48 jam indicavimus, ad diem, quo sub ritu duplici in ecclesie Pictaviensis Officio proprio colitur atque a Cl. Castellano in Martyrologio Universali recensetur,

XIV Decembris.

S. Stephanus protomartyr et Nativitas Hannæ in Hagiologio Æthiopico hodie signatur; per Hannam seu Annam, ibi memoratum, designatur, ut Jobus Ludolphus observat, Samuelis, Israelitarum Judicis et prophetae mater, pro qua videtur, quæ apud nos in Prætermissis dicta jam sunt ad diem,

I Septembris.

Quod autem ad Stephanum proto-martyrem spectat, nos de celeberrimo isthoc fidei Christianæ athleta cum Martyrologio Romano hodierno sumus acturi ad diem

XXVI Decembris.

B

E

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]